

την παραδόξον τῶν πράξεων, ὑπὲρ ων προπονήμεθα γράφειν, οκανόν ἐστι προκάλεσαι καὶ παρομηθσαι πάντα — πρὸς τὴν ἐντεῦξιν, τῆς πραγματείας. Πραγματεία primum est animi studium, quod in aliqua re colloces, deinde vero opus ex hocce studio profectum. Hoc loco quum intelligenda sit ipsa Polybiana historia, exspectes non immerito aliquam vocem, qua πραγματείας notio ad Polybium auctorem referatur. Sic enim Polybius ait p. 5, 1. ἀρχεῖ δὲ τῆς πραγματείας ἡμῖν et p. 6, 15. τὸ τῆς ἡμετέρας πραγματείας ἴδιον, et p. 605, 7. οὐκ ἀγνοῶ διότι συμβαίνει τὴν πραγματείαν ἡ μῶν ἔχειν αὐτοτηθόν τι. uno loco, qui est p. 232, 10. διπερ ἡμεῖς αὐτοί τε πειρασθεῖσα ποιεῖν λαβόντες ἀρμόζοντα τόπον ἐν τῇ πραγματείᾳ, omissione pronominis excusat, quod arctissime vox πραγματείας cum ipso Subjecto enuntiationis coniuncta est. Eo vero, a quo profecti sumus, loco τῆς πραγματείας nude dictum ferri non potest. Sed adde τῆς δε, ut est paullo infra τῆς διατειχίας.

p. 3, 19. αὐτὸν γὰρ τὸ παράδοξον τῶν πράξεων, ὑπὲρ ων προπονήμεθα γράφειν, οκανόν ἐστι προκάλεσαι καὶ παρομηθσαι πάντα — πρὸς τὴν ἐντεῦξιν, τῆς πραγματείας. Πραγματεία primum est animi studium, quod in aliqua re colloces, deinde vero opus ex hocce studio profectum. Hoc loco quum intelligenda sit ipsa Polybiana historia, exspectes non immerito aliquam vocem, qua πραγματείας notio ad Polybium auctorem referatur. Sic enim Polybius ait p. 5, 1. ἀρχεῖ δὲ τῆς πραγματείας ἡμῖν et p. 6, 15. τὸ τῆς ἡμετέρας πραγματείας ἴδιον, et p. 605, 7. οὐκ ἀγνοῶ διότι συμβαίνει τὴν πραγματείαν ἡ μῶν ἔχειν αὐτοτηθόν τι. uno loco, qui est p. 232, 10. διπερ ἡμεῖς αὐτοί τε πειρασθεῖσα ποιεῖν λαβόντες ἀρμόζοντα τόπον ἐν τῇ πραγματείᾳ, omissione pronominis excusat, quod arctissime vox πραγματείας cum ipso Subjecto enuntiationis coniuncta est. Eo vero, a quo profecti sumus, loco τῆς πραγματείας nude dictum ferri non potest. Sed adde τῆς δε, ut est paullo infra τῆς διατειχίας.

p. 4, 12. Δακεδαιμόνοι -- ἐπειδὴ ποτ' ἐκράτησαν, μάλις ἔτη δώδεκα κατέσχον αὐτὸν ἀδηρίστον. Quod erat in libris κατεῖδον, id iam pridem Fulvius Ursinus falsum esse cognoverat scripseratque κατεῖχον. Pro eo Bekkerus edidit κατέσχον, quem probavit Hausdörfferus Annalibus litterarum antiquarum. Quia tamen in re parum illi videntur, qui sit constans Polybii usus, secum reputasse. Hic enim, ut fert sane ipsa temporum illorum natura, Imperfecto occupandi, Aoristo vero obtinendi vim attribuit. Quod quāmq̄ ita est perspicuum, ut exemplis videar supersedere posse, tamen afferam aliquot ex primis libris enotata, veluti p. 8, 28. 10, 11. 69, 27. 114, 14, 118, 20. 111, 20. 133. 21. 143, 23. 144. 28. 157, 8. 159, 24. 187, 4. Jam vero, hic quum demonstretur, quam non diuturna Spartanorum potestas fuerit, non dubitabimus ad Ursini emendationem redire.

p. 4, 19. Macedones Polybius ait Europae parvulam sane partem, quae est inter Hadriam et Istrum, tenuisse, deinde vero ad hanc Asiæ dominationem adiunxisse; nihilotamen minus, inquit, οὗτοι πλεύστων δέξαντες καὶ τόπων καὶ πραγμάτων γενέσθαι κύριοι, τὸ πολὺ μέρος ἀκμὴν ἀπέδιπον τῆς οἰκουμένης ἀλλοτριον. At vix mihi persuadeo, Polybium, qui plurimas terras ipse peragrasset, earumque magnitudinem et ambitum, quoad eius tunc quidem

fieri poterat, exquisivisset, revera dixisse, maiorem orbis terrarum partem a Macedonibus intactam remansisse. Jam vero, quod dicitur τὸ πολὺ μέρος, non simpliciter maiorem partem sed amplius quiddam denotare mihi videtur. Non enim significat eam rationem, quae inter duas partes est, sed quae est inter partem aliquam et totum corpus. Veluti p. 269, 2. Fabius perhibetur quattuor millia militum in insidiis collocasse, ipse vero τὸ πολὺ μέρος ἔχων τῆς δυνάμεως in colle quodam castra posuisse. Germanice interpretabimur „mit der hauptmasse des heeres.“ Similiter p. 278, 30. parvula exercitus parte relicta in castris, τὸ πολὺ μέρος τῶν ὑπεντατίων—κατὰ τῆς χάρας σκεδαστήμενον dicitur. Simillima est ratio p. 400, 21. Macedones igitur, si vera est librorum lectio, non solum maiorem terrae partem, sed quasi principem terrae partem alienam possessionem reliquerunt. Quod absurdum est. Evidem ita existimo, Polybium scripsisse τὸ πολὺ δύσει μέρος, occidentalem terrae partem. Qua emendatione optima prodit sententia: Macedones etsi plurimas regiones sibi subiecere, magnamque comparavere potentiam, totam tamen aliquam terrae partem non attigerant.

p. 4, 24. Habet hic locum lacunosissimum, cuius sententiam tamen præclare intellexit Fulvius Ursinus, sententiaeque ratione habita verba amissa bene supplevit. In eo tamen erravit, quod numerum litterarum, quae intercederunt, longitudinemque linearum neglexit. Qua de re quamquam, libro Vaticano nondum denuo accurate excusso, non audeo certa affirmare, tamen veri simile est, linearum longitudinem inter duodeviginti et viginti duas litteras fluctuasse. Atque hinc proficiisci eum necesse est, qui restituendi huius loci periculum facere volet. Mihi quidem haec quae sequitur forma ab ipsis Polybii verbis non multum videtur abesse:

- οὐ τινα μέρη, σχεδὸν δὲ πᾶσαι πεπομένοι τὴν οἰκουμένην ὑπέκουον αὐτοῖς, ἀπαραμέλητον μὲν τοῖς πρόστερον οὖσιν, ἀντιεργάζοντο δάκρυν τοῖς επιγενομένοις ὑπεροχήν κατέλιπον τῆς αὐτῶν δυνατείας. Ταῦτης μὲν τὰ αἴσια διὰ τῆσδε τῆς γοργῆς ἐξέσται σαφέστερον κατιοεῖν. ὅμοιώς δὲ καὶ etc.

Ceterum moneo, has lacunas in ipso Archetypo fuisse, ex quo nostri omnes provenerunt codices, neque minus in eo libro, ex quo Excerpta Constantini Porphyrogeniti de prompta sunt. Estque omnino nostrorum Polybii emendandi subsidiorum haec ratio, ut certae quaedam lacunae et depravatae quaedam lectiones omnium communes sint, eique qui Polybio revera prodesse velit, non liceat intra codicum fines subsistere. Quodsi quis consensu codicum deterrei se patiatur, quominus veram lectionem indagare conetur, is videatur parum profecturus esse. Quare interpretes, qui ante nostram aetatem ad Polybium accesserunt, audacius progrediendum sibi putaverunt, eaque re Polybium sordibus, quibus inquinatus erat, liberaverunt: neque nos, nisi forte putabimus omnia acta et transacta esse, subsistere in ea via decebit. Sed ut redeamus ad rem propositam, loco pertractato alium adiungere liceat non

minus lacerum, qui est p. 5, 13. Quem, linearum longitudine in auxilium vocata, ita restituo:

5.

ἐν μὲν οὖν τοῖς πρὸ τούτων
χρόνοις ὥσπερ εἰ σποράδας
εἴκαι συνέβαντε τὰς τῆς
οἰκουμένης πόλεις, διὰ
τὸ κατὰ τὰς ἐπιβολὰς ἔκδ.
στον, ἐπὶ δὲ συντείνεις
αὐτῶν, ὅμοιώς δὲ καὶ κατὰ
(τα) τόπον μὴ συμπλέκειν ἔ-
καστα τῶν πεποιγμένων etc.

p. 4, 27 Polybius initio operis sui, ut ita dicam, per praeteritionem admonuit, quam utilitatem historiae studium afferret, ac deinceps exposuit, quanam re ipsius historiae resque ab ipso prescribendae omnibus praestarent. Λέπο γέρ τὸ παρόδοξον, inquit, τῶν πολέων, ὃν προπονήσα γράφειν, omnes lectors et allicet et retinebit. Et hoc iam alterum argumentum est, quod pertractet. Id quod ita peragit, ut, comparatione aliarum gentium, quarum magnum fuit imperium, instituta, doceat, non nūn's alta de sua se historia praedicavisse. Haec demonstratio pertinet usque ad eum locum, de quo disputamus. Jam exspectes, repetita illa sententia, quae adhuc exposita est, quasi conclusionem demonstrationis fieri, cui quidem licet etiam praecedentem, quae est de utilitate historiae, annexere, ut quasi proxima et superiora uno codemque conspectu complecti et comprehendere possimus. Quod secus factum videmus. Superiorum enim est mentio facta, proximorum non item. Quare merito suspicieris, excidisse hoc loco verba quaedam, quibus sententia ὡς δ' ἔστι παρόδοξον καὶ μέγα τὸ περὶ τὸν ἴμετρον ὑπόθεσιν δεώντα repetita et absoluta est. Quod ut ita statuamus, alia quoque sunt quae nos commoveant. Variatam enim habemus constructionem ita, ut apud Polybium fieri non solet. Dicit enim: ἐξέται συρέπεσον κατανοεῖν, deinde vero pergit: ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τοῦ et quae sequuntur. Quod non reprehendo, quasi vero Polybius non dixerit κατανοεῖν περὶ τοῦ, sed quod ab altera constructione, nulla cogente necessitate, ad alteram transiit. Denique in Palimpsesto Vaticano est: σύνθεται δὲ πάλι etc. Quod ipsum per se perversissimum est; De utilitate enim historiae actum est, non agetur; perducit tamen nos codem, quo cetera vestigia monstrarunt. Quid multa? Excidere verba quaedam, in his εἰσηγηται, veluti περὶ μὲν οὖν τούτων ικανῶς εἴσηγται vel ικανὸς εἴσηγται: ita tamen ut pro τούτων voce liceat ampliora quaedam verba substituere, quibus illa ipsa sententia continetur. Non tamen multa putaverim excidisse, quae fuit Scaligeri sententia, qui ad sui exempli marginem adscripsit τολλὰ λείπει.

Jam vero huic loco similem prorsus apponam, qui est p. 7, 26. Polybius in praecedentibus praecclare docuit, ad veram scientiam rerum gestarum non posse perveniri, nisi quis universas uno conspectu comprehenderet, sed demonstrationem suam non magis absolvit, quam fecit eo loco, de quo paullo ante disputavimus. Quumque deceret proximam sententiam repetere eique eas annexere, quae supra expositae essent, has superiores proposuit, proximam vero neglexit. Dicit enim: ἐκ μέρου γε τῆς ἀπόκτων πρὸς ἄλληλα συμπλοκῆς καὶ παραχέσεως, ἐπὶ δ' ὁμοιότητος καὶ διαφορᾶς, μόνος ἂν τις ἐρίκοιτο καὶ δυνηθείν κατοπτεύσας ἀμα καὶ τὸ χρήσιμον καὶ τὸ τερπνὸν ἐκ τῆς ιστορίας λαβεῖν. Et hoc primum est, quod dico, legem vel logicam vel rhetoricae neglectam esse. Alterum vero est, quod, ut nunc verba scripta

sunt, ex illa ratione rerum coniunctim proponendarum, ἐκ τῆς ἀπάντων πρὸς ἄλληλα συμπλοκῆς καὶ παραθέσεως, id sequi dicitur, quod nihil ad illam rationem pertinet. Namque utilitas et delectatio historiae aliunde profluit, non vero ex hocce fonte. Jam alio loco Polybius suae historiae non vindicat eam laudem, ut animum oblectet, sed dicit αὐστηρόν τι in ea esse. Quare ita censemus, ἐκ τῆς συμπλοκῆς καὶ παραθέσεως ἀπάντων scientiam rerum gestarum provenire ἐκ τοῦ παραδόξου τῶν πράξεων, quas Polybius scribendas sibi proposuit, τὸ τερπνόν profluere, utilitatem vero omnis omnino historiae communem esse. Et hoc quidem alterum est, tertium vero, quod intolerabilis tautologia est in ἐφίκοτο καὶ δυνηθεῖ: intolerabilis, quod est in ea notione, cui non insit maior quaeram vis, ut augendo inculcare animis legentium debeas. Alias enim constat Polybium ambage quadam dicendi uti, ut p. 3, 18. dixit προκαλέσασθαι καὶ παρομῆσαι, ut p. 4, 5. παραβάλλουμεν καὶ συγχρίναμεν, ut p. 6, 7. διαποζῆ καὶ ζῆτη ut p. 43, 16. ἐπίδοσιν καὶ φοτίν, ut p. 43, 17. φρονίμως καὶ συνετώς et sic sexcentis locis, non tam in ea notione quam semel commemorasse satis est. Quod item sensit Bothius, qui tamen, ut est fere interpolationis indagandae cupidior, verba καὶ δυνηθεῖ simpliciter extrudenda iudicavit. A qua ratione emendationum in Polybio quidem prorsus alieni sumus: quippe qui persuasum habeamus, Polybium non expellendis sed restituendis et revocandis verbis sanandum esse. Verum vidit Reiskius, cujus rationem sequunt nos quidem Polybio restituimus, quod excidit, hunc fere in modum: μόνος ἀν τις ἐφίκοτο [ἐπιστήμην ἀτρεκῆ ἔχειν] καὶ δυνηθεῖ etc. Unam videlicet lineam, viginti fere litterarum, supplendo exprimere studuimus.

Sed ne sic quidem omni ex parte officio nostro videmus satisfeisse. Nam et ἄμα particula his scripta est, et κατοπτεύσας participium suo caret obiecto. Alteram quidem illam maculam Bekkerus sustulit, eleganti et ingeniosa conjectura, quum ex ἄμα λαζεῖν unam vocem ἀναλαβεῖν fecit; alteram vero in contextu reliquit. Evidem censeo prius ἄμα esse in ταῦτα umtandum, alterum vero suo loco positum esse. Totumque locum iamiam sic refectum propono: ἐκ μέντοι γε τῆς ἀπάντων πρὸς ἄλληλα συμπλοκῆς καὶ παραθέσεως, ἐπὶ δὲ ὁμοίότητος καὶ διαφορᾶς, μόνως ἀν τις ἐφίκοτο ἐπιστήμην ἀτρεκῆ ἔχειν, καὶ δυνηθεῖ, κατοπτεύσας ταῦτα, καὶ τὸ χρήσιμον καὶ τὸ τερπνὸν ἐκ τῆς ἴστορίας ἄμα λαζεῖν.

Sed redeundum nobis ad locum supra tractatum p. 4, 29. in quo¹ est ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τοῦ πόσα καὶ πήρια συμβάλλεσθαι πέρικε τοῖς φιλομαθοῖσιν ὁ τῆς πραγματικῆς ἴστορίας τρόπος. De pragmatica Polybii historia saepe disputatum est, neque ignoro, Polybium ipsum suam historiam ut pragmaticam aliis rerum scribendarum rationibus opposuisse; ib quod factum videmus illustri et luculentlo loco p. 607, 5. primo libri noni fragmento. Ubi quum distinguat τὸν γενεαλογικὸν τρόπον, τὸν περὶ ἀτοικίας καὶ κτίσεως καὶ συγγενείας, deinde τὸν πολιτικὸν vel πρωτηματικὸν, recte dicere videtur τῆς πραγματικῆς ἴστορίας, quo videlicet haecce historiae ratio aliis rationibus opponeretur. Eo vero, de quo nos dicimus, loco nihil eiusmodi oppositionis est, sed de ea utilitate agitur, quam historiae studium afferat. Quare amplector scripturam Palimpsesti ὡτῆς ἴστορικῆς πραγματείας τρόπος, et moneo, codicem illum ex ea recensione esse, quam Vaticanus et Florentinus exhibeant, lectionem igitur, quam offerat, magni faciendam et illis libris prope parem habendam esse. Ne vero quis voce τρόπος offendatur, conferat p. 286, 29. ἀραγμαῖς ὁ τῆς παρακλήσεως γίγνεται τρόπος, quod fere idem est atque τὸ παράκλησις.

p. 5, 8. Bekkerus, unus Florentini actoritate natus, πατὴ τὸν Ιταλίαν καὶ τὴν Λιθύην scripsit, iterato articulo. Reliqui codices atque Palimpsestus alterum τῷ respuunt. Videlicet

omisso articulo Italia et Libya in unum contrahuntur, quae, addito articulo, separatae sunt. Sie p. 5, 17. τὰς Διβυκὰς καὶ Ἰταλικὰς πολέμους dictum est p. 18, 6. τὴν χώραν πορθεῖν τῶν Καρχηδονίων καὶ Συρακοσίων. Quare etiam hoc loco bene κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ Διβύην scribitur. Sed hoc quidem saepe magni momenti est ad locum aliquem vel interpretandum vel emendandum. Itaque p. 18, 20. Echetla urbs dicitur ἐν μέσῃ κειμένῃ τῶν Συρακοσίων καὶ Καρχηδονίων ἐπαρχίᾳ. Quod qui explicant „in confiniis Syracusanorum et Carthaginensium imperii,” parum videntur reputare quid sit ἐν μέσῃ τῇ χώρᾳ, praeterquam quod pro eo suppetebat nostro dicere ἐν τοῖς ὄροις. Praeterea vero hoc agitur, ut hoc exemplo probetur, Romanos in medium insulam penetrasse. Quam sane ad rem nihil refert, urbs illa in confiniis utriusque provinciae posita dicatur necne. Namque Syracusani et Carthaginenses vel prope Messanam inter se contingebant. Quare aut unum ex illis nominibus eiiciendum est, scribendum que ἐν μέσῃ τῇ Καρχηδονίων ἐπαρχίᾳ, aut, id quod magis probo, ita existimandum, Syracusanorum et Carthaginensium dominationem hoc loco pro una habitam esse, ut esset sententia „mitten im feindlichen lande.“ Quod ut indicem, alia me caussa movet. Constat enim, eo tempore dominationem vel Syracusanorum vel Carthaginensium vehementer fluctuasse, ita ut, utrorum aliqua urbs fuisse, dicere difficile esset. Ne nos quidem, opinor, dubitabimus in simili rerum conditione similiter dicere, videlicet si de urbe aliqua parum nobili agitur idque ea aetate, in qua certi fines dominationis nulli sint. In tabulis geographicis quod Echetla in confiniis provinciarum illarum posita est, id conjectura factum est.

p. 6, 14. τὸ γάρ τῆς ἡμετέρας προγνωσίας ἴδιον καὶ τὸ διανυόσιον τῶν πατ' ἡμᾶς χρόνων τοῦτο ἔστιν ὅτι, κατέπιερ ἡ τύχη σχεδὸν ἀπαντά τὰ τῆς οἰκουμένης πρόγνωστα πρὸς ἐν ἔκλιτε μέρος —, οὔτω καὶ διὰ τῆς ιστορίας ὑπὸ μίαν σύνοψιν ἀγαγεῖν τοῖς ἐντυγχάνουσι τὸν χειρότερὸν τὸν τύχην etc. In hisce verbis mendose scriptum est ὅτι sequente inflnitivo, pro verbo finito. Nam anacoluthiam vix adducor ut apud Polybium statuam, quippe qui satis sciām, quid sit anacoluthia apud Platōnem vel Thucydidem, quid sit apud Polybium. Sed etiam hic Palimpsestus, in quo est ὑπὸ δὲ μίαν σύνοψιν, quamquam non ipsam veram scripturam exhibet, tamen monstrat veram; δέ enim illud ex δεῖ natum est. De sententia huius loci non facile dubitabitur, si quis meminerit, τὴν τύχην non esse fortunam, quae coeca vulgo cogitatur, aut casum, sed eam, quam nos dicimus das Schicksal, die Vorsehung. Cui quidem soli χειροτονία attribui potest, ut dicitur eadem ἀπαντά τὰ τῆς οἰκουμένης πρόγνωστα πρὸς ἐν κλίνειν μέρος, καὶ πάντα τελέσαι ἀναγκάζειν πρὸς ἔνα καὶ τὸν αὐτὸν σκοπόν. Simili ratione subveniendum videtur loco p. 8, 6. Ληπτέον δέ τοῖς χρόνοις ὁμολογουμένην καὶ γνωσιέμενην ὀρχήσην παρ' ἀπασι, καὶ τοῖς πρόγνωστι διναυσέντην πατ' αὐτὴν δεωρεῖσθαι, καὶ δέη τοῖς χρόνοις βοσκὴ προσαναδομέντας κεφαλαιώδη τῶν μεταξὺ πολέμων ποιήσασθαι τὴν ἀνάμησιν. De quo loco video pluribus disputandum esse. Hoc enim ait Polybius, non esse progrediendum ultra τὴν αἰτίαν, nec τῆς αἰτίας αἰτίαν querendam; sed satis esse temporis momentum capere, quod vel temporis vel rei ratione habita initio faciendo aptum sit. Τοῖς χρόνοις et τοῖς πρόγνωστι nihil nisi Dativi relationis, qui vulgo dicuntur, habendi snnt. Jam quae sequuntur verba pro enuntiatione concessiva habentur: „etiamsi oporteat, repetitis paullo altius temporibus, mediis intervallis res gestas summatim in memoriam revocare.“ Sed quantum equidem video, enuntiatio illa nihil habet, quod concessive dictum videatur. Illud intelligo, „etiamsi altius repetere necesse sit;“ hoc non intelligo „etiamsi necesse sit res summatim exponere.“ Quasi vero adumbrata rerum narratio impedimento esse possit, quominus tempus aptum, quale descrip-

tum est, ad incipiendum sumas. Immo vero regulae et praeecepti instar videtur, ut res in medio positas summatis proponas. Quare καὶ quidem non pro concessiva particula, sed pro conditionali habendum est. Hinc consequitur, infinitivum ποισασθαι non pendere ex δεῖ. Jam duas licet huius loci interpretandi vias inire. Aut enim Anacoluthia statuenda, ut Polybius videatur ita orationem continuasse, quasi λαμβάνειν δεῖ, non ληπτέον dixisset. Sed quod supra dixi, in eius modi Anacoluthis multum est dubitationis; quare malim post κεφαλαιόδη, qui locus aptissimus est, δεῖ inserere. Sententia iam haecce efficitur: „et si opus fuerit, ubi paullo altius repetiveris, res in medio positae paucis exponendae sunt.“ Huic rationi vel articulus τὴν ἀνάμνησιν magis convenit, qui fugit interpretum oculos. Si enim καὶ est etiamsi, ἀνάμνησιν sine articulo dicendum est. Tertium locum, quo δεῖ verbum inserendum est, addam p. 642, 2. φάσκων, ὅτε ἡσαν αὐτῶν κύριοι, τότε δεῖν διαπεσθεύσασθαι πρὸς τοὺς κρείττους περὶ τῆς σωτηρίας, μή τὸν δούλους γεγονότας.

p. 7. 10. Videntur Polybio errare *oi πεπεισμένοι διὰ τῆς κατὰ μέρος ιστορίας μετρίως συνόψεως τὰ δύλα*: atqui ipse paullo infra concedit, ἔννοιαν λαβεῖν ἀπὸ μέρους τὸν δύλων δυνάτων εἶναι, ἐπιστήμην δὲ καὶ γνώμην ἀπεικῆ ἀδύνατον. Nam, quantum euidem video, id quod dicitur μετρίως συνορᾶν et ἔννοια non multum inter sece discrepant; nervus vero omnis demonstrationis hic est, veram scientiam singulis perspectis rebus comparari non posse. Quare ne Polybius sibi ipse contradicat, suadeo, ut pro μετρίως scribas ἀπεικῶς, quod unum justae sententiarum consecutioni convenit. Moneo praeterea semel, Polybium eius modi repetitionem verborum non modo non defugere, verum etiam studiose amplecti, quoties notionem aliquam maiorem cum vi proferri penitusque animis legentium mandari necesse est. Quare ne quis offendatur, quod ἀπεικῶς intra satis breve spatium nostra emendatione bis comparet.— Simillimum est, quod paullo infra p. 7, 16. sequitur τῷ τε εἴδει καὶ τῇ τῆς ψυχῆς εὐπρεπείᾳ, quod nimis religiose ab editoribus Polybii servatum videtur. Natura animantium, quam disiectis membris cognosci posse noster negat, duabus maxime rebus constat, altera externa figura ac specie, altera vero interna, animi vigore atque efficacitate. Et priorem quidem dixit τὴν καλλουὴν τοῦ ζῶντος et τὸ εἶδος αὐτοῦ, alteram vero dicit τὴν τῆς ψυχῆς ἐνέργειαν. Quam ne dubitaveris etiam huic loco, de quo loquimur, restituere. Nam εὐπρεπεῖαν τῆς ψυχῆς in homine vel in nobili aliquo animali agnoscere: hic vero, ubi sermo est de omnibus omnino animantibus, eius locum non video.— Tertium addo locum p. 9, 10. ὑποστάντες δὲ γεναιώς τὸν πόλεμον τούτον καὶ τὸ τελευταῖον τάς τε δυνάμεις καὶ Πύρρον ἐκβαλόντες ἐκ τῆς Ἰταλίας. Est hic locus ex iis, qui, ut sunt sine dubio corrupti, tamen propemodum ad desperationem sanandi adigant. Quare Reiskius, qui de Polybio bene meruit, magnumque in eo emendando ingenii acumen probavit, quod intelligebat Πύρρον καὶ τὰς δυνάμεις fortasse ferri posse, τάς τε δυνάμεις καὶ Πύρρον vero longe absurdissimum esse, post δυνάμεις existimavit ἐλόντες excidisse, Schweighäuserus ἀνελόντες, qui tamen postremo in figura τοῦ ἐν διὰ δυοῖν acquievit. Sed nec ἐλόντες nec ἀνελόντες recte habet. Pyrrhus enim quum ipse Italia excessit, praesidium eius Tarenti relictum est. Quod primum hoc loco nos offendit, est ea ratio, qua exercitus Pyrrhi priore loco commemoratus est, qui locus haud dubie Pyrrho debetur ipsi. Quodsi ad vocem δυνάμεις verbum aliquod adjunctum esset, quo exercitus illo loco dignior potiorque videretur, dubitatio illa offensioque evanesceret. Jam appareat, Romanorum animos imprimis eo incensos et exacerbatos fuisse, quod peregrinae copiae in Italia essent transgressae. Quare circumspiciamus, num vocabulum aliud eius significatus nobis sese offerat, quod praesertim scripturae quadam similitudine pro-

xime ad δυνάμεις accedat, ut facile excidere potuerit. Nullam equidem video omni ex parte probabiliorem vocem quam est ὀδυνέος. Donec melior ratio reperta fuerit, scribas τὰς τε ὀδυνέας δυνάμεις καὶ Πένσον.— Sed ut his addamus quartum locum, qui est p. 12, 27. Romanorum ratio δυσαπόλογητος ἀμαργία vocatur, quae ut et paullo ante et infra p. 12, 22. et. p. 13, 12. ἀλογία appellata est. Et erat re vera ἀλογία, inconstantia, si Mamertinis iidem auxilium afferrent, qui maleficos Rheginos summo supplicio mactassent; ἀμαργία vero nulla erat nec a Polybio poterat dici, eo videlicet tempore, quo, quid ἀδίκημα, quid ἀμάρτημα, quid ἀτύχημα esset, quotidie in iudiciis et concionibus populi agitabatur. Huc accedit, quod ei, qui ἀλογίαν alicuius demonstraturus est, non variata oratione sed iteratis iisdem verbis opus est, nisi forte ipse suam demonstrationem frangere et ad nihilum redigere vult. Jam si meminerimus, Polybium, ubi id opus est, premere verbum solere, nec elegantiam potiorem habere vigore orationis, non dubitabis hic quoque reponere ἀλογίαν, praesertim quum conspicuum sit, quae causa librarium movere potuerit, ut aliud idque parum conveniens verbum inferret. Nam certum est, vocem δυσαπόλογητος ei fraudi fuisse. Quae repetitio verborum cui ignota est, eum necesse est saepe ad correctionem induci, ubi omnia praecclare habent. Sic Bothius p. 43, 7. quod praecesserat συνδέειν, pro συνδόντι emendabat συνελόντι, et Polybiani sermonis parum gnarus et eius notionis, quae est vocis συνελόντι, quippe quo multa singula in unum comprehendi denotetur.

p. 8, 3. καὶ ὡρίζον αὐτὴν τὴν τῆς διαβάσεως αἰτίαν ψιλῶς, ἵνα μὲν τῆς αἰτίας αἰτίαν ἐπιζητούσης, ἀνυπόστατος ἢ τῆς ὅλης ἵποθέσεως ἀρχὴ γένεται καὶ θεωρία. Sic libri scripti editique omnes, quamquam perspicuum est; non caussam ipsam caussae quaerendae studiosam esse, sed hoc ab historico fieri. Nisi fallor, scribendum ἐπιζητοῦσα, et eam ipsam ob caussam, quod ἐπιζητοῦσα minus apte cum ἡ ἀρχὴ coniungi, videbatur addita videtur θεωρία, „ne historia caussam caussae quaerens ἀνυπόστατος sit, i. e. certo fundamento careat. De vocis ἀνυπόστατος vi ac notione praecclare princeps ille in nostris litteris vir Isaacus Casaubonus disputavit.

p. 11, 7. Hiero quod hoc loco dicitur πρὸς τι γένος εὐφυῆς βασιλικῆς καὶ πραγματικῆς οἰκονομίας, id absurdum esse patet. Quod quum Reiskius perspexisset, conjecturam proposuit audaciorem quam veriorem, nec cuiquam facile praeter Reiskium probatam. Sed fortasse leniore remedio licet desperato loco subvenire, scribentem πρὸς δὲ τὰν τι γένος εὐφυῆς βασιλικῆς καὶ πραγματικῆς οἰκονομίας, ut Cleomenes, rex Spartanorum, a Polybio vocatur πρὸς πραγμάτων οἰκονομίαν εὐφυῆς καὶ συλλήβδην ἥγεμονικὸς καὶ βασιλικὸς τῇ φύσει.

p. 12, 13. Polybius narrat Hieronem, hostibus fusis fugatisque, victorem Syracusas rediisse, ubi βασιλεὺς ὑπὸ τάντων προσηγορεύθη τῶν συμμάχων. Ipsum per se sane non est admirandum, Hieronem a sociis regem esse appellatum, inter cives vero civem mansisse: nec exempla eius rei desunt, ubi colonia aliqua Graeca barbaris populis imperitabat. Sed illis, quibus Hiero fuit, temporibus regium nomen aliquanto minus offensionis habebat, quam aetate Hieronis illius maioris, qui ducentis et amplius annis ante fuit, et Agathocles paullo ante Syracusis regia dignitate et nomine fuerat. Quare tunc mirum erat, si Hiero a sociis rex appellatus esset, a civibus non item. Est autem eo magis mirum, quod Polybius magna quadam vi pronuntiat, ὃτὸ πάντων προσηγορεύθη τῶν συμμάχων, quasi vero consensum sociorum dissentienti civium voluntati opponere voluerit. Jam vero paullo post Hiero etiam Syracusanorum rex est, nec ullo loco docemur a Polybio, neque statim sociorum electionem a Syracu-

sanis esse comprobata, neque postea hosce illis accessisse. Atque hoc commemorari necesse erat, posteaquam Polybius tam luculenter cives a sociorum electione exclusit. Sed, nisi fallor, est hic locus depravatus, scriptisque Polybius βασιλεὺς ὑπὸ πάντων προσηγόρευθη πολιτῶν τε καὶ συμμάχων, qua scriptura etiam voci πάντων sua vis restituitur, quippe qua iam cives et socii omnes comprehendantur. Regia dignitas quin Hieroni exercitum lustranti omnibus clamantibus delata sit, dubitari non potest.

p. 18, 27. post συγγραφέως, si quid video, excidit ψευδῶς.

p. 20, 26. Post pacem cum Hierone factam Romani, quod bellum videbatur minore apparatu geri posse, duas tantum legiones emittere decreverant: οὐκέτι πάσις, inquit Polybius, ἔχοντον ἐξαποστέλλειν τὰς δυνάμεις, ἀλλὰ δύο μόνον στρατόπεδα. Carthaginienses vero omnium virium contentione ad id bellum incumbabant. Jam duo consules Romani ἦσαν εἰς τὴν Σικελίαν μετὰ τῶν στρατόπεδων. Verba μετὰ τῶν στρατόπεδων non sine certa quadam causa addita videntur. Alias enim omitti poterant, ut sunt saepissime omissa. Jam vero si est singularis quaedam illorum vis, Articulus μετὰ τῶν στρατόπεδων parum distincte eam significat. Potest enim aut duas illas, non plures missas esse significare, aut vero Consules cum usitato legionum numero profectos esse. Utcunque erat, praestabat dicere vel μετὰ τῶν εἰρημένων στρατόπεδων, vel μετὰ τεττάρων στρατόπεδων. Et hanc alteram scripturam veram existimo, Polybiumque ita emendari debere. Nam re vera bellum apud Agrigentum non duabus, sed quattuor legionibus gestum esse, certum puto; Romanosque, nuntio de novo Carthaginiensium apparatu accepto, non iam de dimidiando exercitu cogitasse. Unum superest, quo haec disputatio infirmari videatur. Non enim satis est, quattuor legiones commemorasse, ut Romanos consilium mutasse appareat; nam si scriptor supra illius consilii mentionem fecit, non silentio illa est mutatio praetereunda. Sed, nisi fallor, ita res sese habet: primum pro τεττάρων scriptum est τῶν; deinde vero haec depravatio alteram traxit, ut verbum πάλιν, quod verisimile est post Σικελίαν fuisse, e contextu verborum expelleretur. Lego igitur: ἔκον εἰς τὴν Σικελίαν πάλιν μετὰ τεττάρων στρατόπεδων.

p. 21, 33. An ἀπεχοίσης?

p. 27, 16. Machinam hanc optime illustravit Carolus Haltius primum Supplementis Annalium Jahnianorum, deinde in Historia, quam scribere inchoavit, Romana; et ita illustravit, ut de eius constructione nulla dubitatio sit, Polybiumque appareat nihil omnino omisisse, nisi quod lectores ipsi facili opera addere possent. Paullo infra tamen notandum videtur, quod Bekkerus scripsit, p. 27, 32. ἀντιπεριόδουτες τὰς ἐκ τῶν πλαγίων προσπίπτουσας ἐμβολίδες, ejecta præpositione κατά, quam interposuerat Casaubonus. Sed ἐμβολάι quanam ratione possint obiecti locum tenere, profecto non intelligo: unum dubites, utrum κατά an πρός inseras: equidem πρός praetulerim. Polybius quid dicere voluerit, apparet ex descriptione pugnae navalis, quae subsequitur. In qua p. 29, 4. Polybius ait ἐξέπλων καί διένευον τὰς τῶν δογάνων ἐπιβολάς: quae si contuleris cum iis, quae subinde sequuntur, ἀντιπεριόδουται καὶ συνδιαινεύονται, poterit usus verborum διαινεῖσθαι et συνδιαινεῖσθαι aliquam dubitationem movere. Alterum enim interpres explicant ita ut sit declinare, evitare; alterum vero in omnes partes spectare. Sed διαινεῖσθαι proprie ac primum est oculos in eum, qui sit in altera parte, intentos habere, ita ut hosce corporis motus sequatur; deinde vero ad hunc ipsum corporis

motum pertinet. Qui motus perinde est utrum defensionis an impetus faciendi caussa fiat. Hinc si prefectus fueris, διανεύω et συνδιανεύω non discedere alterum ab altero, sed inter se convenire videbuntur: συνδιανεύω vero convertes „den bewegungen des gegners folgen.“

p. 29, 12 ff. Hoc totum, quod sequitur, caput est ex iis, quae interpreti, si recte velit munere suo fungi, difficultatem parare maximam debeant. Ipsas vero res gestas, quae hic exponuntur, ampliore eaque historica disputatione persequi in animo mihi est, Polybiumque cum reliquis historicis, quorum quidem aliqua auctoritas sit, componere. Hic ipsa Polybii verba examinasse sufficiat. Tribus igitur caput illud particulis constat, quarum prima res a Romanis post pugnam navalem gestas continet, secunda victoriam Hamilcaris de sociis Romanorum reportatam, tertia denique res Hannibal's illius, qui naval proelio Mylensi victus discesserat. Prima igitur pars arctissime cum iis, quae proximo capite exposita sunt, cohaeret; refert Segestam obsidione exemptam, Macellam expugnatam; verisimile est, Romanos inde in hiberna abiisse. Omnia, quantum video, perspicua sunt. Sequitur jam altera pars, quae initium capit verbis μετὰ δὲ τὴν ναυμαχίαν. Quid quæsto hoc est? Hamilcar obtruncasse dicitur socios Romanorum, ab hisce separatos ac seorsim castra tenentes, στασιάζοντας πρὸς τοὺς Ρωμαίους περὶ τῶν ἐν ταῖς μάχαις προτείνοντας. Putaveris has pugnas intelligendas esse eas, quibus Segesta liberata est: quare victoria Hamilcaris in extremum annum incidit, in illud ipsum tempus, quo Romani et socii Romanorum in hiberna discessuri erant. Haecce vero victoria dici poterat μετὰ τὴν ναυμαχίαν comparata esse, si inter hanc pugnam navalem et illam victoriam tantaeque res in medio positae erant? Non metimur tempus ex remotissimis, sed ex proximis, quum μετὰ τὴν ναυμαχίαν dicimus. Haec igitur particula ita sese habet, ut neque ad proximam neque ad praecedens caput apte adiungatur. Tertia vero pars refert, Hannibalem cum navibus pugnae eruptis Carthaginem rediisse, et inde paullo post in Sardiniam missum esse; idque factum esse μετὰ ταύτην τὴν πορᾶξιν id est post splendidam Hamilcaris victoriam. Sed primum quidem μετὰ ταύτην τὴν πορᾶξιν, si Hannibal non interfuit pugnae, audacter dictum videtur; esset consentaneum, si ipse Hamilcar diceretur μετὰ ταύτην τὴν πορᾶξιν aliquid egisse. Πορᾶξις enim actionis notionem non omnino abiecit. Deinde vero quod Hannibal perhibetur ἔχων τὰς διαστασίας ναῦς redisse domum, id quidem in illud tempus nos revocat, quod pugnam navalem proxime sequutum est, non autem aptum aut consentaneum videtur, posteaquam tres vel quattuor menses abidere. Ergo ne haec quidem pars capitis recte ad praecedentem annexa videtur. Sed ut paucis dicam quid sentiam, et magnas in libris manuscriptis lacunas esse intelleximus, et singulas hic illic lineas excidisse, quas divinando restituere conati sumus. Jam si hoc, de quo agimus, caput aliquot lacunas offerebat, fieri poterat. ut librarius eas partes, quae quasi totum aliquod fragmentum exhiberent, excerpteret, iis omissis, quae omnino dilacerata essent. Quare ita existimo, fragmenta hocce capite haberi, non continuam narrationem. Ligaturam harum partium (μετὰ δὲ τὴν ναυμαχίαν, μετὰ δὲ ταύτην τὴν πορᾶξιν) ambiguus sum utrum Polybio an librario tribuam. Sed propensus tamen sum in eam rationem, ut librarii opus esse dicam.

p. 32, 10. An θέμενος ὑπὸ τὴν δψιν?

p. 33, 20. ἔχων ἐπίπλους καὶ πετρίσεις τὰς μάλιστα ταχυναυρούσας— Ita libri manuscripti et editi omnes. Reiskius solus καὶ particulam deleri insit. Recte, opinor. Namque

in omnibus eius aetatis magnis navalibus aliquot naves solebant ipsum ducem comitari, veluti praetoria quaedam navium cohors, qua ad omnem pugnae usum uteretur. Quarum mentio fit, praeter hunc locum, alio loco p. 60, 9. quo loco quinque eius generis naves Adherbali in pugna Drepanensi adfuisse dicuntur. Sed, nisi fallor, easdem putabis, quas Polybius p. 30, 21. διμοτλοσύνας dicit. Et triginta illae naves, quae in pugna Mylensi Hannibalem sequabantur, etiam ipsae ita appellari poterant. Jam si Polybii verba accurate expendas, dixeris, ita ut scripta appareant, ferri vix posse. Qui enim dicit, ducem ἐπίτρον habuisse, nihil omnino dicit: sed erat dicendum, aut quantus illarum navium numerus fuisset, aut si quid aliud accuratius describendis illis aptum videbatur. Evidem duas rationes huius difficultatis tollendae video. Aut ante ἐπίτρον adscribo numerum, veluti quinque, qui numerus, si littera ε notatus erat, facile omitti poterat; aut tolle και, ut quinqueremes velocissimae illarum navium munere, in gravissima praesertim maximaque pugna, functac esse dicantur. Electionem alis permitto. Sed hic locus ad alium me vocat, simili ratione emendandum. Namque p. 47, 19. Romani traduntur ἐπὶ δύο ἑταντοῖς non esse ausi cum Carthaginiensibus aequo, campo pugnam committere. Duo anni si numerantur ab clade Reguli, non deducimur ad Metelli apud Panormum victoriam, qua Romanis fiducia restituta est: nec est aliud tempus, a quo hosce annos computes. Quare ita censeo, fuisse apud Polybium scriptum ἐπὶ δύο ἑταντοῖς i. e. τέτταρος ἑταντοῖς, et ex hac littera numeri nota δύο factum esse. Quod si probaveris, omnia plana et perspicua habebis.

p. 44, 31. Exponit Polybius interitum classis Romanae ex duorum imperitia ortum. Nam quum gubernatores navium eos essent obtestati, ne littus Siciliae legerent, quod ex adversum Libyam est, quippe quod πελαγία et δυσπροσόδιον: haec πλευρά esset, nihilotamen minus ἔλασθρον ἔξω πελάγη, quum quasdam urbium maritimaruim classis victricis specie in Romanorum partes trahere studerent. Haec verba habent sane, quo offendere animos debeant. Primum πλευρά illa in optimis libris dicitur πλαγία, in uno codice Augustano πελαγία, quod, licet ipsum difficile sit ad intelligendum, tamen in editiones omnes transiit. Bothius ingeniose scripsit τεττάρων, si modo eiusmodi forma ab τέτταρος derivari posset. Donec melior emendatio inventa erit, pro πλαγίαν haud improbabile videbitur πεδιάδα legere. Jam vero quae sequuntur Λαζαρίον ἔξω πελάγη, omnino sensu carent. Primam rectae scripturae rationem docuit Schweighäuserus, scribens ἕπασσαν vel ἕπαντον. Reliqua corrigere εἰς πέλας γῆς, navigabant longo ordine prope terram. Quae emendatio mihi tam recta videtur, ut probare eam non necesse sit.

p. 46, 31. Legimus Consules Servilium et Sempronium ex Africa Panormum venisse, ἐπτεῦθεν δε ποιούμενοι παραβόλως καὶ διὰ πόρου τὸν πλῶν εἰς τὴν Ράμην πάλιν περιέπεσσον χειμῶνι, τηλικούτῳ τὸ μέγεθος, ὥστε πλείω τῶν ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα πλοίων ἀποβαθεῖν. Verba, quae notata vides, magnae difficultatis plena sunt manuscriptis omnibus est δι' ἀπόρου, in uno Bavario διαπέρον vel διαπόροι, nam alterum est apud Bekkerum, alterum apud Schweighäuserum. Primus Opsopoeus edidit διὰ πόρου, id est „recta ac brevissima via Romanam petens.“ Sed vehementer dubito, num διὰ πόρου ita interpretari liceat. Quotiescumque enim διὰ πόρου dicitur, non satis est, ut recta via per mare aliquo contendas, sed ut duas terrae, exiguo maris spatio divisae, finitiae sint, proximeque altera ad alteram accedant. Ita est πόρος inter Herculis columnas p. 211, 3. διαβάντες τὸν παρ' Ἡρακλείους στήλας πόρον, ita inter Graeciam et Italiam p. 103, 89. ἐν οἱ μὲν διὰ πόρου τὸν πλοῦν ἐπὶ τὴν Κέρκυραν ἐποιοῦντο, μέρος

δέτι προσέσχε πρὸς τὸν τῶν Ἐπιδαυρίων λιμένα, quocum loco conferas p. 114, 25. ita inter Siciliam et Africam p. 44, 13 διάραττες τὸν πόρον καὶ προσμίξαντες τῇ τῶν Καμαρινῶν χώρᾳ. At vero qui ex Graecia in Aegyptum proficiisci velit, dici non possit διὰ πόρου iέναι. Quod moneo, ne quis forte Plutarchi locum (Arat. c. 12.) huc trahi posse existimet. De quo a Carolo Sintenisio nuper verissime et acerrime disputatum est primo Philologi volumine p. 394. Perverse igitur existimant, qui consules Romanos per medium mare Tyrrhenicum vela dedisse arbitrantur, idque ipsum a Polybio voce παραβόλως notari. Quasi vero ars navigandi illo tempore etiamtum sic in incunabulis fuerit, ut medio mari vehi non auderent. Immo vero si διὰ πόρου redierunt, praeter meridionalem Siciliae oram navigasse videntur: quod merito dicuntur παραβόλως fecisse, quoniam, spreto breviore itinere, illius orae maritimae periculum faciebant, quae ipso proximo anno insignem classis Romanae calamitatem vidisset. Cur consules in tantum se committerent rerum discrimen, fortasse praeter fortitudinem andaciamque supra a Polybio commemoratam hanc fuisse dixeris, ut civitatibus Graecis eo in littore positis Romanos haudquaquam omnino fractos marique depulsos persuaderent. Jam facile statues, quanta incuria saepe praeclaros historicos in eiusmodi rebus versari censeas, siquidem vel Mommsenius, quem honoris caussa nomino, ita scripsit: „und auch diesmal hatten die Piloten, trotz ihrer vorstellungen und bitten, auf befehl der consuln von Panormos geradesweges durch das offene meer nach Osten zu steuern müssen.



que el deseo de la gente que se pone en contacto con las personas que tienen una gran responsabilidad en la vida de los demás. No es tan difícil como parece al principio, ya que la respuesta correcta a la pregunta de si se ha vivido con honestidad y rectitud, no es más que una respuesta que viene de la propia conciencia. De modo similar, la respuesta correcta a la pregunta de si se ha tratado bien a los demás, no es más que una respuesta que viene de la propia conciencia. La respuesta correcta a la pregunta de si se ha tratado bien a los demás, no es más que una respuesta que viene de la propia conciencia. La respuesta correcta a la pregunta de si se ha tratado bien a los demás, no es más que una respuesta que viene de la propia conciencia. La respuesta correcta a la pregunta de si se ha tratado bien a los demás, no es más que una respuesta que viene de la propia conciencia. La respuesta correcta a la pregunta de si se ha tratado bien a los demás, no es más que una respuesta que viene de la propia conciencia. La respuesta correcta a la pregunta de si se ha tratado bien a los demás, no es más que una respuesta que viene de la propia conciencia. La respuesta correcta a la pregunta de si se ha tratado bien a los demás, no es más que una respuesta que viene de la propia conciencia. La respuesta correcta a la pregunta de si se ha tratado bien a los demás, no es más que una respuesta que viene de la propia conciencia. La respuesta correcta a la pregunta de si se ha tratado bien a los demás, no es más que una respuesta que viene de la propia conciencia. La respuesta correcta a la pregunta de si se ha tratado bien a los demás, no es más que una respuesta que viene de la propia conciencia.